

20 venit ad Phrygium Venus  
iudicem, bona cum bona  
nubet alite virgo,

25 floridis velut enitens  
myrtus Asia ramulis,  
quos Hamadryades deae  
ludicrum sibi rosido  
nutriunt humore.

30 quare age huc aditum ferens  
perge linqere Thespieae  
rupis Aonios specus,  
nympha quos super irrigat  
frigerans Aganippe,

35 ac domum dominam voca,  
coniugis cupidam novi  
mentem amore revinciens,  
ut tenax edera huc et huc  
arborem implicat errans.

40 vosque item simul, integrae  
virgines, quibus advenit  
par dies, agite in modum  
dicite 'o Hymenaeae Hymen,  
o Hymen Hymenaeae',

45 ut lubentius, audiens  
se citarier ad suum  
munus, huc aditum ferat  
dux bonae Veneris, boni  
coniugator amoris.